



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 2. Vanæ gloriæ damna, & motiva vitandi. Ex Veteri, Novo, Patribus, & aliis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Homo stultus palam ostentat divitias suas, ex quo multi ad fruendas infidias commoventur. Tu verò, cum inter latrones verferis, absconde, quæ tua sunt; donec ad pacis civitatem pervenias; ubi rebus tuis tuto perfruaris. S. Nilus Or. 7. de inani gloria.

Est humana gloria putrido ligno simillima, quod de nocte lucet, sed de die putridum esse apparet. Quid est enim hominem vana gloria de nocte lucere; nisi in hoc presenti tempore, quod nocti umbrosæ est simile, gloriosum incedere, & luminosum infirmis oculis apparere; qui non possunt, nisi secundum ea, quæ foris sunt, judicare. Sed cum dies Judicii advenit, in quo *illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit confusio cordium*; tunc, qui videntur nunc gloriosi, apparebunt putridi, & vilissimi. S. Bonaventura l. 1. de S. Andrea.

Perditæ vitæ homines se laboribus torquent, cruciantur curis, expensis eviscerant: Nonne figuram araneæ gerunt, quæ de suis visceribus telam texit, ut muscam capiat vilissimam? Quid est inanis gloria, quam venantur, nisi musca vilissima, murmurosa, sordida, pungitiva? Blesensis ep. ad Sac. Aulic.

Molendinura *Windmühl* / non circumagitur, neque facit farinam, nisi excitetur ventò: ita multi non operantur bene, nisi flante ventò humanæ laudis. Organum sine ventò tacet. Stella p. 1. c. 19.

Amygdali, quòd ante debitum tempus floreat, gelu, & brumali injuriæ obnoxia sunt, & fructum maturum vix ferunt. E contra mori, quòd non nisi serò gemmescunt, & florent; ventos noxios, gelu, & frigus, non metuant. Docere nos hic rerum natura parens voluit: eos, qui in hoc Mundo florere gestunt, meritaque sua ostentant, amygdalo præcipiti per similes esse; quorum nimirum fructus, id est, bona opera, nunquam maturefcunt; sed inanis gloriæ pruina, & aquilone, aduruntur, & destruantur. Bessius D. 3. Epiph.

Tormentum bellicum explosum. Lem. *Cum fulgore sonus*. Carolus Bovius.

Molendinum ventò agitabile. Lem. *Absq. aura quiescit*. Sinè spe honoris nihil agitur. Idem.

Tuba militaris. Lem. *Absque aura tacet*. Id.

## §. II.

*Vana Gloriæ damna, & motiva vitandi.*

*Ex Veteri, & Novo.*

**M**anna, quod filii Israel per aliquot dies septimanæ servabant, alterò die à vermicibus corrosum invenerunt: servantes autem illud pro Sabbatho, incorruptum erat, & bonum. Exodi 16. 20. Per dies septimanæ intelligendum est tempus vitæ presentis. Omnia opera, quæ facis in hoc Mundo, ut lauderis ab hominibus, perduntur, & corrumpuntur; quæ verò sunt, ut reserventur ad quietem, seu fe-

stum gloriæ æternæ, ibi apparebunt valde bona; & præmium suum recipient. Refer. va ergo ista in Sabbathum gloriæ. Stella p. 1. cap. 17.

*Si occurrerit tibi homo, non salutes eum.* 4. Reg. 4. 29. Sciebat, esse honoris cupidum, & causam dicturum: inanem autem gloriam fore impedimento, nè faciat miraculum. Theodor. retus q. 17. hic.

*Ecce dies venient, & auferentur omnia &c.* 4. Reg. 20. 17. Ezechias rex, quòd thesauros suos Assyriorum legatis ostendit, jussu Domini audivit: *Ecce dies venient &c.*

*Bibe aquam de cisterna tua &c.* Prov. 5. 15. 16. 17. q. d. prius bibe aquam vivam gratiæ & sapientiæ; & fruere tu bonis tibi à DEO præstitis: nec tamen retineantur; sed communica aliis; addit autem; *habeo eas solum, nec sint alieni participes tui*. id est: cura, in hac effusione nihil sit inanis gloriæ; quòd aliqui, id est, inimici tuis laboribus ditentur. de Pont. in Cant. 1. Exh. 21. §. 4.

*Noli tuba canere ante te.* Math. 6. 2. O vanitas, ac miseria infinita! propter volatilem, vilem, fallacem, & momentaneam, hominum laudem, divinò, æternò, & cœlesti, honore privari! Dionysius Carth. c. 5.

*Et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Matth. 22. 11. Suam, non Domini, gloriam quarentem. S. August. l. 2. contra Faustum c. 19.

*Quòd autem secus viam &c.* Luc. 8. 12. Semina sunt orationes, jejunia, peregrinationes &c. Sed hæc seminantur secus viam, quando fiunt pro apparentia, ut videantur à transeuntibus; & ideo pereunt. S. Bonaventura l. 2. D. Sexag.

*Ex Patribus, & aliis.*

Qui pro virtute, quam agit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. Unde Cœli regnum mereri potuit, inde nummum transitorium sermonis quatit. S. Gregorius Moral. l. 8. c. 25.

Qui bene didicit, vel expertus est, viciorum superandorum gradus; intelligit hoc vitium inanis gloriæ, vel solum, vel maximè, cavendum esse perfectis. S. August. in Pf. 7. Et gloriæ meam in pulverem deducat.

Quidquid contemplatione humanæ gloriæ fecerimus, in terra nos thesaurizare, secundum Domini sententiam, noverimus; & consequenter illud velut humi reconditum, terræque defossium; vel diversis dæmoniis depopulandum, vel edaci cenodoxiæ æturgine consumendum, seu superbiæ tineis devorandum; ut ad nullam recondentis utilitatem, emolumentumque, proficiat. Cassianus Collat. l. c. 22.

Quæ utilitas homini, si ipsum totus orbis admiratur, & laudat; Conditor autem omnium, & Judex, qui decipi nequit, in die illo terribili condemnaturus sit. S. Chrysost. hom. 23. in Gen.

Spirituale quid faciens, & humanam respiciens gloriam, mercedem suam hic accepit; & jam ultra Deum non habet debitorem. S. Chrylost. hom. 31. in Gen.

Onovæ calamitatis genus! ô furiosam hanc turbationem! quæ tinea corrodere non potest, nec fur violare; ea inanis gloria omnino dispergit. Hæc est tinea coelestis thesauri, hic est fur, qui æterna regna furatur; qui immarcescibiles à nobis divitias auferit; qui tanquam contagiosus morbus, omnia corrumpit. Id. hom. 72. in Matth. 22.

Amittit meritum justitiæ apud DEUM, qui idcirco justè vult vivere, ut gloriam humanæ laudis acquirat. Id. hom. 8. in Matth.

Elegerim potius innumerorum barbarorum servitutem, quam semel unius inanis gloriæ. Nèque enim talia captivis suis illi imperant, qualia subditis suis ista mandat. Id. s. 17. in ep. ad Rom. c. 10. Qui quidquam sibi vendicat, quod debetur Christo, fur est, & latro; eò damnabilior, quò Deo chariora prædatur. *Gloriam meam alteri non dabo.* II. 42. 8. S. Laurentius Just. tr. de compunct.

Crux præfens scala est ad gloriam, Et è converso præfens gloria scala est ad crucem æternam. Hugo Card. in Gen. 40.

Constat è Roma subterranea, & philologis, qui de subterraneis lucernis, lampadibusque, scripsere: sepulchralem lucernam per annos, imò sæculum non unum, absconditam arsisse; mox verò, ac aura eam afflavit, fuisse extinctam. Sic fervorem nostrum abscondit, custoditque, humilitas; extinguit verò superbia, quando illum vanitatis aura afflavit. Nadasi 6. mense amoris Dei c. 12. Tulliolæ corpus Clemente VIII. Pontifice repertum ajunt in Italia plumbeò loculò in speciem prorsus integrum; juxtaque lampadem etiam jam tum è multis sexcentis, & ultra, annis accensam, ac lucentem; Verùm, ut loculus aperiri cœptus est, mox lucerna illa extincta est, & ipsam cadaver sensum resolvit, atque in cineres abire vitum. Simile quid amoris lampadi usquevenit; quæ perfacile solò hominum respectu, ac favore, extinguitur; nitòque charitatis, ac species, deperditur. Doultreman l. 4. 3. l. 2.

## §. III.

*Exempla Gloriam vanam spernentium, & fugientium.*

## Num. I.

*Christus Dominus.*

**E**gressus abiit in desertum locum. Marci 1. 37. Secedit Christus pusillum in desertum locum, quò absens eorum desiderium acuat, qui illum sequebantur: suòque nos exemplò admonet, ut post miraculum patratum, aut opus ali-quod illustre perfectum, aliquò seorsum secedamus: nè quod inanis gloria venenum aut humanæ laudis studium, in animos nostros irreat; sed Deo sua ubique gloria, debitæque gratiarum a-

ctio nusquam non constet. Victor Antioch. in Marcum.

*Agebatur à spiritu in desertum.* Luc. 4. 1. ut formam præfaret vitandi laudem humanam, & omnem gloriam vanam: ut laudati, & honorati, quæramus latere, & optemus nesciri. Dion. Carth. hic. c. 4.

*Ecce sanus factus es.* Joan. 5. 14. Non dicit, sanum te feci: in quo monet nos fugere jactantiam de bonis operibus; contra illos, qui dicunt II. 10. 13. *in fortitudine manus meæ feci.* Hugo Card. hic.

Si opprobrium tuum gloria est, Domine JESU, quanta est gloria tua? Tuæ igitur gloriæ participatione quid erimus, cujus sumus opprobrio gloriosi? S. Ambros. in Pl. 118. actor. 5. Aufer à me opprobrium &c. Quid stabulum eligit? planè ut reprobet gloriam Mundi, damnet Sæculi vanitatem. S. Bernardus l. 3. in Nat. D.

## Num. II.

*Exempla alia.*

*Percussit bis in cervicem ejus, & abscondit caput ejus* Judith 13. 10. Perfectam voluit reportare victoriam. Hostis noster non semel; sed iterum, est feriendus: ac primum quidem, cum tentatione nos adortur, sed iterum percutiendus; curandūque, nè gloriæ succumbamus, quam prior nobis victoria peperit. Did. Niss. D. 1. Quadr. §. 8.

*Judith universa vasa bellica Holofernis obtulit: in anathema oblivionis.* c. ult. 23. S. Chryostomus: reliquit omnia vestimenta, nè succumberet. Quid? nè succumberet? illa bellicosa virgo, quæ Holofernis potentiam non timuit, meruit spolia? Voluit hæc sancta vidua significare: quis scit, an non, ad conspectum horum spoliatorum, mentem invadet vana gloria, dum heroica gesta confidero; possent mihi esse occasio incurrendi in sublimem æstimationem de me ipsa. Apage ergo; abeat ex oculis meis; nolo ea videre, nec retinere. Paoletti Dom. 18. Pent.

*Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid insuemini?* Act. 3. 12. q. d. oculos à nobis amovete, & in Deum potiùs convertite: nos gloriam, aut favorem vestrum, minimè ambimus. Drex. Ros. select. p. 2. cap. 14. §. 5.

*Mulier amicta sole, & Luna sub pedibus ejus.* Apoc. 12. 1. Ecclesia CHRISTI lumine cincta gloriam calcat temporalem. V. Beda. hic.

An unquam David in psalmis aut meminit gigantes fundà prostrati, aut provinciarum victorijs suis subjugatarum; aut Philisthorum caesorum; aut Moabitarum; aut cumulatorum ad templum Domini thesaurorum, spoliatorum super altare appensorum? Contra, in quam multis psalmis plangit thorum Bersabææ, & sepulchrum Uriæ! Quantà severitate censuræ peccatorum se nuncupat! quantò lacrymarum diluvio sua immergit flagitia! Oliva t. 3. conc. 27.